

dempnatorias et absolutorias, et ipsas singulariter legere in arengo. ¶ Et potestas personaliter interesse debeat dictis publicationibus et examinationibus ipsorum sacramento, et etiam pena quinquaginta libr. par. ¶ Et facere scribi omnes acusas contra quascunque personas factas cuiuscunque condicionis fuerint, salvis acuis meretricum et ribaldorum, que in ipsius domini potestatis discretione remanea[n]t. ¶ Item recipere bona fide et sine fraude bonam securitatem a quacunque persona se excusante de hiis quibus in excusis fuerit proclamatum. ¶ Et non recipere aliquam excusam per procuratorem alicuius proclamati in excusis, et si fuerit recepta sit ipso iure nullius valoris. ¶ Et ¹⁾ venire ad presentiam dominii quodocunque et quocienscunque audierint tintanabulum pro eis, vel eis fuerit denuntiatum, etiam pena decem sold. par., salvo iuxto impedimento, in libertate dominii. ¶ Et qualibet die dominica tantum facere proclamari et proclamare per preconem comunis, presentibus ipsis protectore et notario, super scalis palatii comunis omnes acusatos denuntiatos vel circa quos facta fuerit inquisitio occasione cuiuscunque delicti, qui alias occasione dicte acuse denuntiationis vel inquisitionis non fuerint proclamati secundum formam statuti loquentis de exclamationibus accusationum. ¶ Item non recedere de civitate Tergesti vel districtu, nec ludere ad aleas sive ad scachos toto tempore eorum offitii, etiam pena centum sold. par. ¶ Item bona fide facere expedire omnes processus tam acusationum denuntiationum quam inquisitionum ²⁾ factarum tam eorum tempore quam eorum predecessorum qui erunt in causa expeditionis. ¶ Item tempore cuiuslibet arengi scribere summam omnium condemnationum in libro condempnatorum antequam ipse condemnationes publicentur, et scribere nomen procuratoris comunis in cuius presentia facta fuerit dicta suma. ¶ Item eidem procuratori dare quater- // num dictarum condemnationum incontinenti ipsis publicatis, in quo etiam scribere debeat diem publicationis designationis et sumam dictarum condemnationum, etiam pena vigintiquinque libr. par. pro quolibet no-

¹⁾ Annotato in margine. ²⁾ *inquisitionem*.